

**Oratio ex Harveii instituto habita in Theatro Collegii Regalis Medicorum  
Londinensis XV. Cal. Novemb. 1768 / [Richard Warren].**

**Contributors**

Warren, Richard, 1731-1797.  
Royal College of Physicians of London.

**Publication/Creation**

Londini : M. Hingeston, 1769.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/dqp22mr3>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

11  
O R A T I O

EX

HARVEII INSTITUTO

HABITA IN

T H E A T R O

COLLEGII REGALIS

MEDICORUM LONDINENSIS

XV Cal. Novemb. MDCCLXVIII.

A RICHARDO WARREN, M. D.

Medico Regio ordinario Coll. Reg. Med. Lond. et Regiæ  
Societatis Socio.

L O N D I N I :

Apud M. HINGESTON.

---

M.DCC.LXIX.

O R A T I O

EX

HARVARDI INSTITUTO

THOMAS HARRIS

THEATRUM

COLLEGIUM REGIUM

MEDICORUM LONDINENSIS

DE

A RICHARDO WARRIN, M.D.

PHYSICO REGIO REGIUM COLLEGIUM REGIUM LONDINENSIS

LONDINI  
And M. Huxton

MDCCLXXI

VIRO PLURIMUM COLENDO  
COLLEGII MEDICORUM  
PRÆSIDENTI  
THOMÆ LAWRENCE,

ET

SOCIIS EJUSDEM ORNATISSIMIS,

HANC

ORATIONEM,

IPSORUM JUSSU HABITAM,

ET IN PUBLICUM EMISSAM,

D. D.

RICHARDUS WARREN.

VIRI PLURIMUM COLENDO

COLLEGIUM MEDICORUM

PRÆSIDENTI

THOMÆ LAWRENCE

SOCIIS EJUSDEM ORNATISSIMIS

HANC

ORATIONEM

IPSORUM JUSSU HABITAM

ET IN PUBLICUM EMISSAM

D. D.

RICHARDUS WARREN.

---

---

# O R A T I O

E X

HARVEII INSTITUTO, &c.

**C**UM prudenter, apud omnes ferè gentes, provisum fit, ut, rerum ad communem utilitatem sapienter institutarum, annua fieret recordatio; ne miremini, Auditores, quòd, ex illustrissimi HARVEII auctoritate atque instituto, apud nos pariter mos obtineat, ut in hominum, de nobis optimè meritorum, retrò eamus memoriam; et ut ii, quorum munificentia, res nostra communis in hunc amplitudinis gradum evecta est, gratà ac solenni commemoratione concelebrentur. Nec

B

minùs

minùs commodo nostro, quàm dignitati, confu-  
 luiffe videtur vir sapientiffimus : voluit enim, ut  
 institutum hocce, non solùm virtutibus vitâ func-  
 torum prædicandis, verùm etiam viventium ex-  
 citandis, inferviret : voluit, ut quoties majorum  
 nostrorum imagines intenti suspiciamus, toties ad  
 eorum imitationem, flagrantiore quodam desiderio,  
 incenderemur.

Ut demandato mihi officio ritè perfungar, unde  
 auspiciatùs ordiar, aut ad quem priùs se convertat  
 oratio nostra, quàm ad LINACRUM ; virum, non so-  
 lùm de societate nostrâ, de medicinâ ipsâ, sed de  
 toto orbe literario, optimè meritum ?

Piget retrò respicere, et replicare memoriam  
 temporum, literis ingeniisque infestorum, cùm  
 fracta Romani imperii columna artium quoque  
 ruinam secum traxit : cùm doctrinæ illa lampas,  
 quæ a Chaldæis primitùs ad Ægyptios tradita,  
 ab Ægyptiis ad Græcos, a Græcis ad Romanos  
 deinceps cesserat, per mille annos aut extincta ac  
 proculcata jacebat, aut in monachorum claustris  
 abscondita, lumen quoddam malignum ac sublustre  
 vix, aut ne vix quidem, alicubi fundebat. In hoc  
 calamitoso rerum statu, qui tenebras primus dispu-  
 lit, qui literis, tanquàm ex Gothorum diluvio nau-  
 fragis, amicum lumen extulit, hiccine non a posteris  
 colendus, suspiciendus, et veluti sanctum fidus, ado-  
 randus ?

randus? Hoc autem omne, quantumcumque, nos-  
ter præstitit LINACER. Qui, cum domi non habue-  
rit unde disceret, in Italiam, humanitatis et elegan-  
tiæ tunc temporis domicilium, migravit; ubi ex  
POLITIANO facundiam, ex DEMETRIO Græcam lin-  
guam, ex HERMOLAO didicit philosophiam. Quantus  
erat, in mathefeos medicinæque fontibus aperiendis,  
testantur\* PROCLUS et † Galenus: Quantus in Ro-  
manis literis accuratè excutiendis, ‡ *emendata struc-  
tura Latini sermonis*: Quantus in medicinæ scien-  
tiâ, et scripta medica, et in ipsâ exercendâ arte mi-  
ra felicitas: Quantus denique in omni literarum  
genere excolendo, duplex officium, et § regii ju-  
venis animum disciplinis informandi, et corporis  
sanitatem simul tuendi, satis demonstrat.

Ego verò, si dicam planè quod sentio, hunc  
egregium virum, non ob benevolentiam, quæ illi

\* PROCLI Σφαιραν Latinè versam, typis mandavit Venet. Anno  
1499, & ARTHURO Principi, cujus præceptor fuit, dedicavit  
LINACER.

† GALENI Περὶ Κρασεων libros tres—Περὶ τῆς Ανωμαλου Δυσκρα-  
σιος librum unum—Περὶ Φυσικων Δυναμεων libros tres—  
Περὶ Χρειας Σφυσμων librum unum—Θεραπευτικῆς Μεθοδου libros qua-  
tuordecim—Περὶ των Ὑγιεινων libros sex Latinè interpretatus est; et  
tantâ fide, tantâ luce, tanto Romani sermonis nitore (ut secundum  
ERASMUM) nihil usquam desideret lector Latinus.

‡ Vide THOMÆ LINACRI De emendatâ Structurâ Latini Ser-  
monis Libros sex.

§ ARTHURI fil. HEN. VII.



summa inerat, neque ob munificentiam, quæ quoque magna fuit, neque ob literarum peritiam, neque ob cæteras plurimas virtutes, quibus tamen vel maximè floruit, tantùm prædicandum arbitror, quantùm ob singularem illam prudentiam, quâ medicos, quaquaversùm dispersos, nullis legibus obstrictos, in unum congregavit, et ex iis, qui virtute et doctrinâ præ cæteris pollebant, sodalitium constituit. Probè scilicet intellectum habens, quanta ad illos commoda, studiorum fœdere et liberali societate conjunctos, ex consortio invicem redundarent! Quantò ex intermiscendis radiis pulchrior, quantò ardentior effulgeat mutuo repercussus literarum splendor!

Artis suæ, civiumque, non minùs remediis, quàm morbis ipsis, vexatorum, miseratus est vicem; monachos, literarum rudes, tarditate ingenii laborantes, anili superstitione irretitos, de rebus medicis, si quæ aliæ reconditissimæ, judicandi peritiam se consecutos esse jactitantes, contemptui habuit; homines naviter impudentes, e quibuslibet officinis reptantes, sine artis medendi elementis, etiam ferè sine literis, lucro tantùm inhiantes, impiè imperitèque, pro salutaribus mortifera conscribentes, indignè tulit. Antecessores igitur nostros, Regis gratiâ et Senatûs auctoritate, in sodalitium ascivit, ut in posterum omnibus rectè faciendi aut  
incussa

incussa fuerit voluntas aut imposita necessitas.---- in fodalitium, illius sub auspiciis, illiusque nomine militaturum, et inscientiam perpetuò impugnaturum, ne medicina, ab eo tandem in libertatem vindicata, iterum vilesceret, et in servitium relaberetur.

LINACRUM subsecutus est JOANNES CAIUS ; vir, ad literas, artesque ornandas et propagandas, planè natus. Qui, postquam quicquid medicinæ, literarum, artiumve tulerit Italia, redux in patriam transvexisset, ad perlegenda veterum monimenta viam nobis aperuit, per plurimamque, præcipuè in re medicâ, miro acumine illustravit.

Anatomix scientiam princeps in his regionibus excoluit, inventisque compluribus locupletavit : et quidem tanta de eo percrebuerat fama, ut, vel ipso Rege hortante et auspicante, strenuam prælectionibus anatomicis operam impenderit : et hunc laborem utilissimum per viginti ferè annos indefessus exequendo, docendoque, quantum rationes ex anatomix fontibus depromptæ arti nostræ inservire possunt, medicinæ rationalis fundamenta primus posuit, et facem HARVEIANAM, lucem splendoremque mox ubique allaturam, quasi accendit.

Sed non tantum literas severiores, verum etiam artes elegantes, omnemque humanitatem coluit. Architectonicen, artem Philosopho non indignam,

uptote quæ alias artes quasi satellites habeat, magnopere dilexit, et agresti suæ Britannia hujus ornatissimæ scientiæ rudimenta adeò feliciter intulit, ut, nostro hodierno sæculo, non vobis vestra, Athenienses, MINERVÆ templa; nec tibi, ROMA, tuam\* Palatinam, et superbas illas OCTAVIANAS porticus ulterius invidendas censeamus.

Hos verò intra parietes, præcipuo honore semper memorandus est CAIUS, quippe qui, ad Collegii nostri salutem unicè compositus, studiorum fautor, disciplinæ stator, leges et tulit, et vindicavit. Languescente quondam potestate vestrâ, et consiliis contra civitatis nostræ statum initis, adfuit CAIUS, in curiam descendit, et auctoritati vestræ labefactatæ pondus denuo restituit atque momentum.---Vobis interim gratulari liceat, Collegæ ornatissimi, qui tam illustrem antecessorem, quem sanè longo sequi intervallo haud esset inglorium, assecuti estis. Leges, quas longa dies antiquaverat, refixistis; novasque, ea jubentes, quæ facienda sunt, prohibentesque contraria, tulistis:---et, quod palmarium est, auctoritatem vestram, nuper indignissimè oppugnatam, summâ fide, pari constantiâ, nec minori verecundiâ defendistis, fulcivistis, sustinivistis. Et quidem ego, quotiescunque hanc ornatissimam coronam intueor, et circumspicio, videor mihi refici, et recre-

\* SUTTONII Vit. AUGUST. c. 29.

ari; fidentiùs enim dicere audeo, sint lites, sint controversiæ, sint conjurationes, non deerit CAIUS, non deerunt causæ nostræ vindices acerrimi.

Si tantus sit apud vos, Auditores, CAII, si LINACRI tantus honos; huic, quòd ædes nostras fundaverit; illi, quòd fundatas conservaverit; utrique quòd medicinam antiquiorem excoluerint, et scriptis illustraverint; quâ non HARVEIUM reverentiâ accipietis? Qui medicinam, quam sui omnino dispari vana effinxerat philosophia, de novo instauravit: Qui infanientis sapientiæ somnia fugavit: Qui, veluti sol exoriens, erroris nebulas, ex opinionibus commentitiis, et conjecturarum temeritate conflatas, dissipavit; effecitque, ut medicina, sibi in posterum fidens, pennas majores extendere, et ultra terminos empirices vexillum attollere, non dubitaverit. HARVEIUS, simplex, patiens, intentus operi, præter verum nullius avarus, certam experimentorum fidem vanis opinionibus opponendo; naturamque, nunc in minimis evanescentem, nunc in maximis diffusam, indefessus persequendo, universam hominis fabricam tandem subjecit oculis. Id quod non novit HIPPOCRATES, id de quo GALENUS et Arabes plurima balbutierunt, absolutum vobis tradidit HARVEIUS. Quot, et quàm variis, pulchrè enarratis disputationibus, ubique abundant immortalia ejus opera? Quot porrò exindè deductis et  
clare

clarè explicatis præceptis, quæ vel medico, ægri lecto affidenti, emolumento esse possint? Nihil ibi abstrusum, nihil affectatum, scripsit nimirum, non ad inanem famam captandam, sed ad humani generis utilitatem promovendam; non tam in animo habens, ut admirentur legentes, quàm ut intelligant.

Tuas ergo laudes, divine Senex, non tam ornare effret adulationis, quàm, de iis filere, invidiæ. Tibi, et tibi soli, vera et inconcussa medicinæ principia nos debere, lubentes agnoscimus; eritque profecto, (non vana auguror) erit, apud omnes veri cultores, famæ tuæ perpetua recordatio: et cùm statuarum, quas grata tibi erexit, et erectura est patria, perierit forma et venustas; scripta tua, mentis veram imaginem exhibentia, nunquam consenescent, sed viridem quasi juventutis florem conservabunt.

Detecto sanguinis circulo, ad artem rationalem quasi in incunabilis fovendam, complures magni nominis viri, in hâc nostrâ palæstrâ summâ cum laude exercitati, sese accinxerunt. Quid LOWERUM, GLISSONIUM, WHARTONIUM commemorem, qui intra angustiorem, partium aliquot corporis, aut visceris cujuslibet, limites coerciti, operam feliciter navârunt? Quid alios multos, qui ab eâdem lampade lucem petentes, de nutritione et auctu corporis, de sanitate et morbis, de vitæ, mortisque causis, egregiè scripserunt?-----At

Ad

Ad famam laudemque HARVEIANAM proximè accedit SYDENHAMUS : nam si summo honore cumulandus, qui artis fundamenta jecit, vix minori prosequendus est, qui exædificavit. Huic erat ingenium ad artem medicam adeò comparatum, et quasi naturâ accommodatum, ut medicus quodammodo natus videatur. Nullius in verba jurans, nihil ex hypothesi fingens, nullius scrinia compilans, sed mirâ sedulitate ægrotantium lectis assidens, et HARVEII sui exemplo, quid natura ipsa faceret, ferretve, curiosè investigans ; morborum historias summâ fide et judicio enarravit ; varietates et minutissima quæque discrimina internovit, et ob oculos dilucidè posuit ; et quid in quoque natura indicet, accuratissimè notavit. Non verbis sed rebus, non opinionibus sed veritate, fretus, morbis rapidissimis leges dare non reformidavit, certamque medendi rationem, quasi digito, monstravit.

Nec prætereundus est MORTONUS, licèt in castris longè diversis militaverit ; nam necessitudinem inter febres quasdam continuas et intermittentes detexit ; febres omnes ad remissionem tendere, utilissimum sanè in praxi præceptum, docuit ; et cortici Peruviano, magno Dei O. M. dono, cujus ope morbos tam graves expugnamus, indignè exultanti civitatem postliminio reddidit.

Nec unquam obliviscamur plurima et maxima nos sagacitati RADCLIVIANÆ debere. Qui, abnormis sapiens, ingenio et experienciâ eruditus, immensam illam remediorum sylvam, quam aut recentium ignorantia, aut inepta nimis antiquorum reverentia supersticiosè atque aniliter consecraverat, præcidit: ægros et languentes, morborum dolore et remediorum fastidio, liberavit.

Huic successit magnum illud Gymnasii hujus, et Britanniae nostræ, decus, RICHARDUS MEADUS; qui, varios hominum mores et scripta pariter contemplando, quicquid aut humanæ menti excolendæ, aut rei medicæ perficiundæ, erudita antiquitas et recentiorum ingenia contulerant, arripuit. His opibus fretus, omnia literarum elegantiorum, et optimè enutritæ indolis ornamenta tam felici operâ in hanc artem transtulit, ut præstantissimos, qui, non dicam ex Italorum aliquâ, sed ex scholâ illâ veteri Coâ, Cnidiâve, olim provenerunt, longè superaverit. Incredibilem in ægrotis tractandis felicitatem, promptam semper in egenos liberalitatem, summam in omnes benevolentiam, sui temporis homines experti sunt: raram ejus in rebus reconditissimis perspicentiam, linguarum exquisitam peritiam, diffusam sacræ et profanæ vetustatis cognitionem, miram denique, quâ omnes artes, ipse summus artifex fovebat, sedulitatem, noscunt præsentem, non tacebunt

tacebunt posteri. Et quod nequaquam prætermittendum esse judico, tantâ licet auctoritate in regno medico potitus sit, ut, quodcunque voluit, potuerit; nemo tamen potentiam ejus unquam sensit, nisi aut levatione periculi aut accessione dignitatis.

Huic nostri ordinis insigni ornamento liceat alterum adjungere: liceat oratori vestro pietati tandem indulgere suæ: liceat, Auditores, magnis his nominibus virum\* inferere, vobis omnibus amicissimum, mihi verò arctissimâ necessitudine conjunctum; virum, quem alii experti sunt non minùs urbanitate, quàm morum simplicitate, verè amabilem; ego verò amicum, præceptorem, parentem.----Vir erat, si quis alius, ad societatem planè factus. Quid illo aut fidelius amico, aut sodali jucundius? mira in sermone, mira etiam in ore ipso, vultuque suavitas. Ad hoc, ingenium dulce, facile, eruditum, semper infra aliorum æstimationes se metiens, nihil sibi vindicans. Laboriosum vitæ curriculum, ut vobis vestræque arti quam maximè inserviret, instituit et peregit. Postquam BACONI philosophiam illustrâssit, et auctiorem reddidisset, ad artem chemicam excolendam sese accinxit. Artem satis in se amplam invenit, sed caligine involutam, iisque principiis

\* P. SHAW, M. D. Regibus GEO. II et III. med. ordinar.



cipiis ferè innixam, quæ vix intelligi, nedum explicari potuerunt. Huic arti multum lucis attulit insignis ille philosophiæ experimentalis instaurator BOYLEUS; qui tamen non tam nova chemiæ extruxit fundamenta, quàm dejecit vetera: lautam fatis supellectilem ab eo, rationes verò non accepimus; materiam unde erui possit vera rerum explicatio uberem fatis reliquit, explicationem verò non attigit. Hic igitur, cujus desiderio omnes tenemur, farraginem BOYLEANAM aptè, distinctè, ordinatè disposuit, ex fumo lucem dedit, ea demùm chemiæ posuit principia, ut artem verè philosophicam esse jam tandem agnoscamus, et quòd inter scientias jure reponi mereatur, lubentissimè illi acceptum referamus.---Idem, juvenis admodum, literarum et medicinæ culturæ totum se tradidit; quod fatis testantur multa et erudita opera, nonnulla quidem ab aliis scripta, sed ab eo edita et illustrata, nonnulla proprio Marte elaborata. Fatendum fanè est quòd quædam forsan præpropere et præcoci ingenio, generosi tamen, etsi nondum subacti saporis, inter prima studiorum rudimenta effudit: nec pudet hoc fateri, cum hujusmodi scripta, quæ aliorum famæ forsan fatis essent, ipse (nam sæpe de iis pulchrè disputantem audivi) ipse solitus est minoris facere. “ More  
 “ scilicet magnorum virorum, et magnarum rerum  
 “ fiduciam

“ fiduciam habentium ; nam levia ingenia, quia  
 “ nihil habent, nihil sibi detrahunt. Magno ingenio,  
 “ multaque nihilominus habituro, convenit etiam  
 “ simplex veri erroris confessio ; præcipuèque in eo  
 “ ministerio, quod utilitatis causâ posteris tra-  
 “ ditur \*.”

Haëtenùs pietati et necessitudini suavissimæ  
 parentavimus : amicitia demùm postulat, ne Te,  
 WOLLASTONE, ne Te, HADLEIE, ingrato silentio  
 premeremus. Quos, juvenes ambos, studiorum  
 æquales, et focios meos, una mecum Academia iis-  
 dem disciplinis informavit. Optimarum artium  
 adolescentes, quos ingenuis virtutibus natura dita-  
 verat, industria perfecerat, meliore animo ingenio-  
 que, quàm fortunâ, usos, Quis vestrùm, Auditores,  
 non mecum ploraverit ? vitam, quam aliis utilissi-  
 mam, sibimetipsis honestissimam, se traducturos,  
 spem bonam certamque fecerant, immaturâ morte  
 febres ineluctabiles abruperunt :

Ostendunt terris hos tantùm Fata, nec ultra  
 Esse sinunt.

Cùm verò sit præcipuum superstitem officium,  
 non tam fletu plausive mortuos prosequi, quàm  
 quæ voluerint meminisse, quæ mandaverint exe-  
 qui ; gratulor vobis, Collegæ ornatissimi, quòd  
 deliberatum vobis, et constitutum habeatis, eo  
 modo antecessoribus vestris gratias rependere, quo

E

illi

\* Vide CELSUM.

illi maximè rependi velint ; amare studia humanitatis, et promovere ; tueri disciplinas vestras ; arcem hanc Apollineam defendere ; et quæ ab alienâ virtute accepistis, vestrâ ornare. Laudo fortunas nostras, sæpiusque sum laudaturus, quòd jam tandem major nobiscum intercedat literarum necessitudo, studiorumque in eâ, quam profitemur, arte, arctior conjunctio. Laudo fortunas reipublicæ medicæ, quòd, absolutâ immortalis \* HARVEII Operum editione, aliquid e propriis scriniis, conjunctis viribus, meditati sitis †. Pergite de toto genere humano benè mereri, et, quæ apud vos jam premitis, scripta fidenter depromite ; ut intelligant omnes quanto in pondere esse debeat, nullis innixa commentis, vestra res medica ; quantâ in gratiâ ea societas, quæ nihil priùs consultum habet, quàm salutem concivium promovere.

\* GULIELMI HARVEII Opera omnia a Collegio Medicorum Londinensi edita 1766.

† Medical Transactions published by the College of Physicians in London 1768.

F I N I S.

illi maxime rebus, quibus in rebus humanis  
talis, et per se, et in rebus humanis, et  
cum hanc Apollonem, et hanc, et hanc, et  
virtute accipitis, vestra oratio. Laudo, et  
notas, sapienter sum, et hanc, et hanc, et  
major nobiscum intercedat, intercedo, necessitudo,  
studiorumque in ea, quam prodest, et, et  
consequitur. Laudo, et hanc, et hanc, et  
quod, absolute, et hanc, et hanc, et  
tunc, aliud, et propriis, et hanc, et hanc, et  
medici, et hanc, et hanc, et hanc, et  
bene mereri, et, et hanc, et hanc, et hanc, et  
fidem, et hanc, et hanc, et hanc, et  
pondere esse debet, nullis, et hanc, et hanc, et  
tes, et hanc, et hanc, et hanc, et hanc, et  
prius, et hanc, et hanc, et hanc, et hanc, et  
promoveret.

\* GUSTAVUS HARTMANN GÖTTSCHE LOWE  
LONDINI MDCCCXXXVII  
+ Medical Transactions published by the College of Physicians  
in London 1762

P I N I S

in hac parte, ut patet ex his, quae supra  
 scripseruntur. Sed etiam, quod ad  
 illud spectat, quod in hac parte, ut patet  
 ex his, quae supra scripseruntur. Sed etiam,  
 quod ad illud spectat, quod in hac parte, ut  
 patet ex his, quae supra scripseruntur. Sed  
 etiam, quod ad illud spectat, quod in hac  
 parte, ut patet ex his, quae supra scripseruntur.  
 Sed etiam, quod ad illud spectat, quod in  
 hac parte, ut patet ex his, quae supra  
 scripseruntur. Sed etiam, quod ad illud  
 spectat, quod in hac parte, ut patet ex his,  
 quae supra scripseruntur. Sed etiam, quod  
 ad illud spectat, quod in hac parte, ut  
 patet ex his, quae supra scripseruntur. Sed  
 etiam, quod ad illud spectat, quod in hac  
 parte, ut patet ex his, quae supra scripseruntur.

D. M. J. B. M. J. B. M. J. B. M. J. B. M. J. B. M. J. B.

D. M. J. B. M. J. B. M. J. B. M. J. B. M. J. B. M. J. B.

T. I. N. I. B.